

civis es Jerusalem , qui non oblivisceris Jerusalem , ne
obliviscatur te dextera tua ; ecce illi qui locuti sunt vani-
tatem , beatum dixerunt populum cui haec sunt : dic mihi
tu canticum Sion . « Beatus , inquit , populus cuius Domi-
» nus Deus ipsius¹ . » Interrogate corda vestra , fratres , si de-
sideratis bona Dei , si desideratis civitatem illam Jerusalem ,
si concupiscauit vitam æternam . Omnis ista terrena felicitas
sinistra vobis sit , illa sit dextera quam semper habebitis .
Etsi habueritis sinistram , nolite de sinistra præsumere .
Nonne corripis eum qui de sinistra voluerit manducare ?
Si mensæ tuæ injuriam putas fieri manducante conviva
de sinistra ; quomodo non fit injuria mensæ Dei , si quod
dextrum est , sinistrum feceris , et quod sinistrum est ,
dextrum feceris ? Quid ergo ? « Si oblitus tui fuero , Jeru-
» salem , obliviscatur me dextera mea . »

XVII. « Adhæreat lingua mea faucibus meis , nisi tui
» meminero² . » Id est , obmutescam , inquit , nisi tui
tui meminero . Ut quid enim loquitur , ut quid sonat ,
qui cantica , Sion non sonat ? Ipsa est lingua nostra , can-
ticum Jerusalem . Canticum dilectionis sæculi hujus , lin-
gua aliena , lingua barbara est , quam in captivitate didi-
cimus . Ergo mutus erit Deo , qui oblitus fuerit Jerusalem .
Et parum est meminisse : nam et hostes meminerunt ejus ,
volentes eam evertere . Quæ est civitas ista , dicunt ? Qui
sunt Christiani ? et quales sunt Christiani ? O si non essent
Christiani ! Vicit jam captiva turba captivatores suos , et
tamen murmurant , et sœviunt , et volunt interficere apud
se peregrinan tem sanctam civitatem : sicut voluit ipsum
populum interficere Pharao , quando masculos occidebat
natos , et foeminas relinquebat ; virtutes præfocabat ,
concupiscentias nutriebat . Parum ergo est meminisse : vide
quomodo memineris . Quædam cum odio meminimus , quæ

¹ Psal. cxliii, 15. — ² Id. cxxxvi, 6.

dam cum amore . Cum ergo dixisset , « Si oblitus tui fuero ,
Jerusalem , obliviscatur me dextera mea . Adhæreat lingua
» mea faucibus meis , nisi tui meminero : » addidit statim ,
« Si non præposuero Jerusalem in principio jucunditatis
» meæ . » Ibi est enim summa jucunditas , ubi Deo per-
fruimur , ubi de fraternitate cohærente et civica societate
securi sumus . Nullus ibi tentator nos violabit , nullus vel ad
aliquam illecebrem percellere poterit , nihil ibi delectabit
nisi bonum . Morietur ibi omnis necessitas , orietur ibi
summa felicitas . « Si non præposuero Jerusalem in prin-
» cípio jucunditatis meæ : »

XVIII. Et convertit se ad Dominum contra hostes ip-
sius civitatis : « Memento , Domine , filiorum Edom¹ . »
Edom ipse dictus est qui et Esaü : audistis enim modo
cum Apostolus legeretur , « Jacob dilexi , Esaü autem odio
» habui² . » Duo filii erant in uno utero , ambo gemini ,
in utero Rebeccæ , filii Isaac , nepotes Abrahæ : nati sunt
ambo , unus ad hæreditatem , alter ad exhæredationem .
Fuit autem hostis fratri sui iste Esaü , quia prævenit be-
nedictionem ejus filius minor : et impletum est , « Major
» serviet minori³ . » Major ergo quis est , et minor quis
est , et quis est major qui serviet minori , modo intelligi-
mus . Major videbatur populus Judæorum , minor ex tem-
pore populus Christianorum . Et videte quomodo major
servit minori . Illi portant codices nostros , nos vivimus de
codicibus ipsorum . Sed ut generaliter de omnibus intel-
ligatis , fratres , majorem et minorem ; major dicitur homo
carnalis , et minor dicitur homo spiritualis ; quia prius est
carnalis , et postea spiritualis . Habes Apostolum aperte di-
centem : « Primus homo de terra terrenus , secundus ho-
» mo de celo coelestis . Qualis terrenus , tales et terreni ;
» et qualis coelestis , tales et coelestes . Sicut portavimus

¹ Psal. cxxxvi, 7. — ² Gen. xxv, 30. — ³ Rom. ix, 13 , et Gen. xxv, 23.

» imaginem terreni, portemus et imaginem ejus qui de
» cœlo est. » Ibi autem supra dixerat : « Sed non prius
» quod spiritale est, sed quod animale, postea spiritale¹. »
Animalem autem eumdem dicit, quem carnalem ostendit.
Homo qui nascitur, animalis esse incipit, carnis esse in-
cipit. Si se convertat a captivitate Babylonie, in redditum
Jerusalem, renovatur, et fit renovatio quædam secun-
dum novum et interiorem hominem : et fit minor tempore,
major potestate. Ergo Esaü omnes carnales, Jacob autem
omnes significat spirituales : minores electi, maiores illi re-
probati. Vult et ipse eligi? Fiat minor. Edom autem ap-
pellatus est de cibo quodam lenticulae rubro, id est, roseo
quodam cibo. Bene cocta erat lenticula defricata, concu-
pivit iste Esaü a fratre suo Jacob, et cessit illi primatum
suum, victus concupiscentia manducandæ illius lenti-
culæ. Ille autem cessit cibum voluptatis, et sumpsit ho-
norem dignitatis. Ita ex placito quodam inter eos factum
est, ut ille major, ille minor sit, ut major serviret minori ;
et appellatus est Edom². Interpretatur autem, quantum
dicunt qui illam linguam neverunt, Edom, sanguis : nam
et punice Edom, sanguis dicitur. Noli mirari. Ad sanguinem
pertinent omnes carnales. « Caro et sanguis regnum
» Dei non possidebunt³. » Non illuc pertinet Edom,
pertinet illuc Jacob, qui caruit cibo carnali, et sumpsit
honorem spiritalem. Ille vero factus est inimicus. Omnes
carnales spiritualibus inimici sunt : omnes tales concupis-
centes præsentia, insequuntur eos quos vident meditari
eterna. Contra hos iste respiciens in Jerusalem, et rogans
Deum ut eruatur a captivitate, quid dicit? « Memento,
» Domine, filiorum Edom. » Libera nos a carnalibus, ab
eis qui imitantur illum Edom, qui fratres maiores sunt,

¹ Cor. xv, 46-49. — ² Gen. xxv, 29-34, et xxvi, 36, 37. — ³ 1 Cor. xv, 50.

sed hostes sunt. Prius nati sunt, sed posterius nati vice-
runt ad primatum : quia concupiscentia carnis illos de-
jicit, contempta concupiscentia istos erexit. Vivunt, et
invidunt, et persequuntur.

XIX. « Memento, Domine, filiorum Edom, in diem
» Jerusalem. » Diem Jerusalem, quo laboravit, quo cap-
tivata est ; an diem illum felicitatis Jerusalem, quo libe-
ratur, quo pervenit, quo æternitati sociatur? « Memento,
inquit, Domine, noli obliisci, filiorum Edom. » Quo-
rum? « Dicentium, evacuate, evacuate, usque dum fun-
» damentum in ea. » Iustum ergo diem memento, quando
evertere volebant illi Jerusalem. Quantas enim persecu-
tiones passa est Ecclesia? Quomodo dicebant filii Edom,
id est, carnales homines, subditæ diabolo et angelis ejus,
colebentes lapides et ligna, sequentes concupiscentias carnis,
extinguite Christianos, tollite Christianos, nec unus re-
maneat, evertite usque ad fundamentum? Nonne dicta
sunt hæc? Et cum ista dicerentur, persequentes impro-
bati sunt, martyres coronati sunt. « Dicentium : Eva-
cuate, evacuate usque dum fundamentum in ea. » Filii
Edom dicunt, » Evacuate, evacuate : » Et Deus dicit,
« Servite¹. » Cujus verba possunt superare, nisi Dei, qui
dixit, « Quia major serviet minori²? Evacuate, evacuate
» usque dum fundamentum in ea.

XX. Et convertit se ad illam : « Filia Babylonis infe-
» lix³. » Infelix ipsa exultatione tua, ipsa præsump-
tione tua, et inimicitias tuis. « Filia Babylonis infelix. »
Civitas ipsa dicitur Babylon et filia Babylonis : quomodo
Jerusalem et filia Jerusalem, et quomodo Sion et filia
Sion, hoc more appellatur Ecclesia et filia Ecclesiæ. Propter
successionem dicitur filia, propter prælationem dici-
tur mater. Fuit prima quædam Babylonia, numquid ipse

¹ Gen. xxv, 23. — ² Rom. ix, 13. — ³ Psal. cxxxvi, 8.

populus in ea permansit? Per successionem Babyloniæ, facta est filia Babylonis. « O filia Babylonis infelix tu! » Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam¹. » Infelix tu, beatus ille.

XXI. Quid enim tu fecisti, et quid retribuetur tibi? Audi: « Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, » quam retribuisti nobis². » Quam retributionem dicit? Ad hoc claudit Psalmus: « Beatus qui tenebit, et elidet » infantes tuos ad petram. » Illam dicit infelicem, beatus autem qui retribuet ei retributionem quam retribuit nobis. Quærimus, quam retributionem: « Beatus, inquit, » qui tenebit et elidet infantes tuos ad petram. » Ipsa est retribution. Quid enim fecit nobis Babylonia ista? Jam cantavimus in illo Psalmo: « Sermones iniquorum prævaluebunt adversus nos³. » Quando enim nati sumus, parvulos nos invenit ista confusio sæculi hujus; et offocavit nos errorum diversorum vánis opinionibus adhuc infantes. Natus infans futurus civis Jerusalem, et in prædestinatione Dei jam civis, sed interim captivatus ad tempus, quando discit amare nisi quod insusurraverint parentes? Instruunt et docent illum avaritiam, rapinas, mendacia quotidiana, diuersas culturas idolorum et dæmoniorum, remedia illicita præcantationum et ligaturarum. Quid facturus est adhuc infans, anima tenera, attendens ad maiores quid agant, nisi ut quod eos viderit agere hoc sequatur? Babylonia ergo persecuta est parvulos nos: sed Deus dedit nobis agnitionem sui jam grandibus, ut non sequeremur errores parentum nostrorum. Quod et tunc commemoravi prædictum a Prophetæ⁴: « Ad te gentes venient ab extremo terræ, et » dicent: Vere mendacium coluerunt patres nostri, va- » nitatem quæ illis non profuit⁵. » Jam juvenes dicunt,

¹ Psal. cxxxvi, 9. — ² Ibid. — ³ Id. lxiv, 4. — ⁴ Vide Enarrat. in Psal. lxiv, n. 6. — ⁵ Jerem. xvi, 19.

qui occisi erant parvuli sequendo ipsas vanitates: projiciendo autem vanitates, et reviviscendo in Deum proficiant, et retribuant Babyloniæ. Qualem retributionem ei retribuent? Quam retribuit nobis. Parvuli ejus vicissim offocentur: imo parvuli ejus vicissim elidantur, et moriantur. Qui sunt parvuli Babyloniæ? Nascentes malæ cupiditates. Sunt enim qui cum vetere cupiditate rixantur. Quando nascitur cupiditas, antequam robur faciat adversum te mala consuetudo, cum parvula est cupiditas, nequaquam pravæ consuetudinis robur accipiat; cum parvula est, elide illam. Sed times ne elisa non moriatur: ad petram elide. « Petra autem erat Christus¹. »

XXII. Fratres, organa in operando non cessent, vobis invicem cantate cantica Sion. Quam libenter audistis, tam libentius agite quod audistis; si non vultis esse salices Babyloniæ, pasti de fluminibus ejus, et fructum nullum affrentes. Sed suspirate in æternam Jerusalem: quo præcedit spes vestra, sequatur vita vestra: ibi erimus cum Christo. Christus nobis modo caput est; gubernat nos modo desuper: amplectetur secum in illa civitate; æquales erimus Angelis Dei. Non auderemus hoc suspicari de nobis, nisi promitteret Veritas. Hoc ergo concupiscite, fratres, hoc die noctuque cogitate. Quidquid de mundo feliciter arriserit, nolite præsumere: nolite libenter colloqui cum cupiditatibus vestris. Hostis major est, occidatur ad petram: brevis hostis est, elidatur ad petram. Et maiores ad petram occidite, et minores ad petram elidite. Petra vincat. In petra ædificamini, si non vultis tolli aut a fluvio, aut a ventis, aut a pluvia. Si vultis armati esse contra tentationes in sæculo, crescat et roboretur desiderium Jerusalem æternæ in cordibus vestris. Transiet cap-

¹ Cor. x, 4.